

DISSERTATIO ACADEMICA,
OB ADIÆ VATICINIUM SUETHICE
VERSUM NOTISQUE EXPLICATUM
SISTENS,

CUJUS PARTEM IMAM,
CONSENSU AMPLISS. FAC. PHILOS. IN ACAD. ABOËNS.

PRÆSIDE
JOH. HENR. FATTENBORG,
Litterat. Orient. Profesf. Ord.

PRO GRADU PHILOSOPHICO,
PUBLICÈ VENTILANDAM PROPONIT
CAROLUS ERICUS HÅLLFORS,
Consist. Eclesiæ Amannens. Satacundensis,

In Auditorio Philos. die XVI Junii MDCCCXIX,
h. p. m. s.

ABOË, TYPIS FRENCKELLIANIS.



Prooemium

Quam permulta eaque maxime necessaria sint adjuncta, quibus in veterum Auctorum monumentis recte intelligendis & dilucide explicandis sagaciores usi fuerint Interpretes, tum etiam illa, quæ ex historia petuntur, haud infimum occupant locum. Multum enim in difficili scripta antiquioris ævi interpretandi opere perficiendo valet grammatica, magnam vim habent logicæ, rhetoricæ ac criticæ artes, & quas utilitates laudanda adferant Lexicographorum studia, nemo est qui ignoret; Verum enim vero, quamquam hæc omnia præsidia sua sibi vel ingeniosissimus fecerit Interpres, in innumera tamen, auctores enarrare studens, incidet loca, quæ nunquam, si historica desint adjuncta, ad liquidum perducere valebit. Cujus rei exempla ut permulta in Græcorum Latinorumque voluminibus explicandis occurrunt, ita etiam frequentissime Veteris Test. Codicis Interpreti sese obiciunt. Neque brevis Obadiani oraculi explicatio iisdem non premitur difficultatibus. Nam primum ad ipsius Auctoris vitam quod attinet, si vel Obadiæ nomen re vera gesserit & in Israëlita terra lucem viderit, quis tamen & quo loco natus fuerit, quam personam in civitate egerit & quæ vitæ fata habuerit, plane ignoramus, quemadmodum etiam de tempore, quo floruerit, nihil certi habemus; & deinde, Edomiticæ gentis historia ita enarrata ad nos non pervenit, ut quo tempore & quorum

A hostium

hostium manu, quæ vaticinatus est Obadias, eventum habuerint, pro certo definire queamus a). Quare nec magnopere mirari convenit, si Interpretes, de his quæstionibus disputantes, conjecturis paulo liberius indulgisse intelligamus, nec nos oportet, illorum opiniones fusius recensendo, longa præfatione uti, sed ea tantum, quæ ad intelligentiam ipsius carminis maxime facere & summa sese commendare probabilitate videantur, breviter exordii loco proferre.

Fuisse videtur Obadias e prosapia Jacobitarum oriundus, & minime homo Idumæus ac postea profelytus factus, ut teste KIMCHIO fabulati sunt Judæorum doctores quidam, nugatoriae isti innixi argumentationi, Deum cive ad cives reprehendendos potissimum uti voluisse, quemadmodum dictum est *להם מהם ובהם מביא להם b)*. Nam quis, quæso, dubitaverit, quin v. c. Jesaias, Jeremias, Ezechiel, Amosque Hebræi fuerint & in terra Israëlitarum nati, quamquam non solum Idumæis, verum etiam aliis gentibus populisque ruinam excidiumque prædixerint? An autem Obadias noster illorum aliquis fuerit, qui aut Achabo, aut Josaphato, aut denique Josia regnantibus honoratiora civitatis munera sedulo obiisse *I Reg. XVIII: 3, II Chron. XVII: 7 & XXXIV: 12* leguntur, e sola nominis similitudine, quod omnium Intt. qui has sœvent conjecturas, unicum est argumentum, vix dici potest c). Sed
 si

a) Cfr. JOH. MARCK. *Comment. in XII. Prophet. Min. Tom. I. p. 426*, JOH. GOTTFR. EICHHORN *Einleit. ins alt. Test. P. III. pag. 233 seqq. Edit. II:a*, & E. F. C. ROSENMÜLL. *Scholl. in Vet. Test. P. VII. Vol. II. pag. 273.*

b) Cfr. MARCK. *l. c.*

c) Recte hac de re judicat ROSENMÜLL. *l. l.* scribens, "e nomine Obadiæ nihil effici posse, quum sit ejusmodi, ut

si nihil hæc loca ad quæstionem, qua vitæ conditione usus fuerit Obadiah, dilucidandam valent, nulla quoque illorum est vis in tempore quo vixerit & vaticinatus fuerit definiendo; nec tamen alia satis certa hujusce rei argumenta nobis præbet historia. Existimat quidem ROSENMÜLLERUS (in *Scholl. in Obad.*), quod & multi alii ante illum fecerunt, Obadiah oraculum suum post everfam a Babyloniis Hierosolymorum urbem edidisse, quod clarissime apparere contendit e versu 11:mo, ubi Idumæis exprobratur, eos tum, quum a barbaris diriperetur Hierosolyma, etiam in societatem sceleris pervenisse. Verum si quid judicare valemus, tantam vim hujus versus verba vix habent, ut huic sententiæ assensum præbere possimus. Nam primum fama non est, sed diserte ab historicis narratum, Hierosolymam, ante extremum illius Zedekia rege exitium, pluries a Chaldæis fuisse captam ac direptam; quas inter clades valde exitialis fuit secunda Nabucadnezaris in Judæam incurso, cum Hierosolymam ingressus regem Jojakimum, aut vasis e templo abstractis catenis vincitum Babylonem abduceret, ut in *II Chron. XXXVI* legere est, aut fortissimis quibusque cæsis & primoribus populi ad tria millia in captivitatem deportatis interficeret, ut habet JOSEPHUS in *Antiqq. Judd. Lib. X, Capp. VI & VIII*. Qua in expeditione si Edomitæ sua quoque arma Regi Babylonio ministrassent, quod e *II Reg. XXIV: 1, 2* facili conjectura colligere licet, ubi in eodem bello aliarum vicinarum gentium, Syrorum, Moabitarum & Ammonitarum copias secum daxisse narratur,

A 2

non

non potuerit non frequentissimi usus esse apud Judæos, quemadmodum Arabibus similis appellatio *عبد الله* perquam familiaris ac trita est". Sæpius quoque præterquam tribus locis citt. nomen *עבדיהו* I. *עבדיהו* in Codice hebræo legitur, v. c. *I Chron. III: 21, VII: 3, VIII: 38, IX: 16, XLIV: 12, XIX: 2, Esr. VIII: 2, Nehem. X: 5.*

non omnino incongruum est, si Numum Obadiani carminis versum hoc Edomitaram in consanguineos suos commissum scelus respicere & reprehendere putemus. — Deinde cum admodum probabile sit, Jeremiam priores quinque Oraculi Obadiæ versiculos sumsisse mutuos & suo in Edomitas, quod *Cap. XLIX* legitur, vaticinio inseruisse — nam ibidem vers. 9, 14, 15, 16 eodem fere verbis, licet ordine paululum immutato repetita occurrunt — atque cum Jeremias ipse, *Cap. XXXVI*, fateatur se, quamquam jam pii Josiæ tempore prophetam agere inceperat, non antea tamen quam quarto Jojakimi imperii anno oracula sua Baruchi manu adjutum litteris consignasse, vix cum ROSENMÜLLERO Obadiani carminis editionem usque ad tempora post Hierosolymam everlam amandare audeamus. Sed quoniam meliora, quam quæ nunc dicta sunt, argumenta, quibus tempus quo vixerit Obadias definite constitui possit, frustra aliunde quærantur, quam ad incertas conjecturas abire multo satius sit, ad dictum quartum imperii Jojakimi annum ita consistere, ut ante illum momentum Obadiam vaticinatum fuisse existimemus d).

Argu-

-
- d) Ne autem officio nostro deesse videamur, cum veterum scriptorum his de rebus testimonia maximi sint momenti, illa quoque paucis attingere lubet. Perhibet quidem HIERONYMUS, in *Comment. ad Obadiam*, Judæorum magistros illum docuisse, Obadiam vatem eundem ipsum Achabi dispensatorem fuisse, qui centum prophetas, quos trucidare voluit Jesebel, in specubus absconditos pavit, cujusque sepulcrum auctoris tempore Sebastes ostendebatur. Sed licet HIERONYMUS hanc traditionem ita narraverit, ut de veritate illius vix dubitare videatur — dicit enim, *Obadiam, quia centum prophetas aluerat, gratiam prophetalem accepisse & de duce exercitus fuisse duce ecclesiæ*

Argumentum carminis mox in initio indicatur verbis
 ⲟⲩⲁⲛⲓ ⲛⲓⲛⲏ, i. e. *vaticinium in, l. contra Edomitas*; quod ita
 persequitur propheta, ut primum illorum fastum ac nimiam
 sui & locorum, quæ habitabant, montanorum fiduciam acriter
 increpans, gravem terræ vastationem & diram non solum ci-
 vilitatis, verum etiam totius gentis interitum prænuntiet; quem
 fatalem fortunæ casum, a Jehova constitutum, internecivis
 odiis

factum — ei tamen omnem fidem ipse derogat, cum ad
 Hoseæ cap. I. num. scribit: *συγγερόντας fuisse Osee, Esaiam,
 Joel, Amos, Abdiam, Jonam & Micham*, quos inter, ut
 certe scimus, Osee, Esaias, Amos & Michas vel LXXX
 annos post tempora Achabi floruerunt. Atque cum eadem
 repugnantia etiam apud EUSEBIUM, in *Chron. Canon.*
 his expressa deprehendatur verbis: *πρὸς Φητέον* (scil. sub
 Josaphato & Achabo) *παρ' Ἑβραίοις Ἡλίας, Ἰηϋ, Ἀυδία,
 Οζιήλ, Μιχαίας*, neque illi, magno licet historico, fidem
 præbere possumus, nec CYRILLO, hæc habenti: *Ἀβδία
 δὴ πάλιν προφητεύει μὲν ἔοικεν ἐν καιροῖς καὶ ἔς Ἰσὴλ;*
 quoniam Joel, ut admodum probabile est, Amosi æqualis
 fuit; multoque minus DOROTHEO & EPIPHANIO, in *Vitt.
 prophet.* fabulantibus, Obadiam in urbe agri Betha-
 chamarensis Sichem natum, ibique una cum patribus suis
 sepultum, fuisse Regis Israëliti Achazizæ tertium ducem,
 cujus vitæ, ut *II Reg. I: 13 seqq.* narratum est, pepercit
 Elias propheta; quæ omnia nugæ sunt, cum ne nomen
 quidem aut Obadiæ, aut ducis illius in dicto Regum loco
 occurrat. Cfr. MARCK. *l. c.* Neque majori fide dignus
 est titulus: *ὄρασις Ὀβδία, ἣ ἐγενήθη πρὸ τῆς ἐξόδου ἐξ
 Ἀσσυρίας*, Armenicæ Obadiæ versioni præscriptus, quem
 quidem, a WINSTON. in *præfat. ad Moysi Choren. hist.
 Arm.* græce redditum, citavit Cel. EICHORN, *l. l.*, sed
 cujus auctoritatem mox quoque rejecit,

odiis & impiis fraudibus injuriisque meruerunt, quibus sanguinos suos, Israëlitas, semper quidem sed imprimis, quum a barbaris hostibus capta ac vastata esset sacrosancta, ut Judæorum erat opinio, Hierosolymorum Urbs, injuste lacerant; & deinde, ut solitus mos erat omnibus Hebræorum vatribus — nam in eadem forma quasi fusi, ad unum idemque exemplar fidei sunt omnes — futu am præfagiat patriæ e malis liberationem & talem civitatis instaurationem, ut Edomitarum, Philistæorum pluriumque aliarum gentium ditionibus sub potestatem Judæorum redactis, omnes imperio regat, qui in Zione habitat, Jehova,

Sed quæsitum quoque est, quo tempore cujusque populi vi armisque mala ista, ab Obadia præsignificata, Edomitis acciderint; neque desunt Interpretes, qui cum apud Josephum, in *Antiqq. Judd. L. X. C. IX* legant, Nebucadnezarem quinto post Hierosolymorum vastationem anno, cum bellum in Ægyptum moliretur, Moabitarum, Ammonitarumque regiones sub suum imperium subjunxisse, ex ista narratione conjecturam faciant, eundem superbum Asiæ victorem, eadem occasione parvam his gentibus vicinam Idumæorum civitatem disturbasse suæque ditioni adj-cisse; atque sic Obadiæ vaticinium ad hoc quoque temporis casusque momentum referant. Sed quamquam hæc satis verisimilia videantur, tamen quoniam tum Josephus, tum alii antiquitatum scriptores Babylonii regis in montes Edomitarum expeditionem tacitam relinquunt, istam quoque conjecturam in medio relinquimus, præcepti a prudentioribus Interpretibus sæpenumero repetiti probe memores, lubricam atque incertam, ut verbis Cel. ROSENMÜLLERI utar, illorum videri rationem, qui quæ vates universim summatimque enunciarunt, ad certos eventus singulaque facta revocare studeant.

Quod denique ad ipsum, quo utitur Obadias, dicendi genus attinet, floridum certe est & nonnunquam sublime, sed sæpius

ſæpius quoque, nimium interrogando & exclamando, & eo potiffimum, quod juſto diutius eandem materiam, levi verborum ac diſtionum immutatione, perſequitur, tumidus languet. Audax tamen in illo fuiſſe poëtæ ingenium, nemo forſitan negabit, quemadmodum etiam totius orationis color exercitatioſem in ſcribendo prodit hominem, quam ut illum hujus brevis tantummodo carminis auſtorem fuiſſe exiſtimemus e).

v. 1. *Obadias profetia. Sålunda talar Herren Herren till Edom:
Wi hafve hört ett budſkap ifrån Herran, och ett fändebud
är ſkickadt ibland folkſlagen: Upp! och låter ofs örliga
emot honom. 1)*

v. 2.

e) Chr. JOH. GOTTFR. EICHHORN *Einleit. ins Alt. Teſt. 2:te
Ausg. III, Th. §. 570. p. 235.*

1) *וְיָוִן prophetiam explicavimus, non vero viſionem; quia
nulla in toto carmine ſit viſionis mentio. Neque vox
prophetiæ alia quoque de cauſa nobis hoc loco magis
non placet, quam vocabula proſus Sueca Syn, aut Up-
penbarelſe; quippe cum Hebræi non ſolum certum quen-
dam revelationis diviniæ modum, verum etiam ipſam rem
vati reſectam & ab illo pleno ore prolatam ſæpius, ut hoc
quoque loco, unius vocis וְיָוִן complexu exprimant,
vocabulum profetia, quod vi originis Græcæ id, quod
ore profertur ſignificat, & longiori uſu in lingua
Suecana de omnibus monitis divinis, quo demum cunque
modo patefacta ſunt, dicitur, multo quoque aptius, quam
ambo altera ad veram vocis וְיָוִן vim explicandam nobis
videtur,*

אֶדוּמוֹ agnomen Esau notissimum (cfr. *Genes. XXV: 29 — 34*), quod etiam regioni, ad radices montis Seir sitæ, ubi cum suis nova posuit domicilia (cfr. *Genes. XXXVI: 6 — 9, 43*), atque posteris impositum fuit, unde Latini e Græco fonte Idumææ & Idumæorum nomina formarunt.

שְׂמוּעָה שְׂמוּעָה propr. *famam audivimus*, scil. nos Judæi, quos, utpote eandem rem qui audiverant, sibi adjungit Propheta. שְׂמוּעָה *famam* l. *rumorem* significare nemini notum non est (cfr. *I Sam. IV: 19, II Chron. IX: 6*); appositis autem verbis מֵאֵרֶץ יְהוּדָה certitudinis vim accipit hæc fama de bello contra Edomitas parando.

צִיר *nuncius*, optime quidem ab Arab. صَار, med. عِي, *ivit, concessit*, explicatur; at ex hebraismo etiam aliquid lucis accipit; nam *Prov. XIII: 17* צִיר respondet voci מְלֹאךָ.

קוֹמֵי וְנִקְרָמָה ad *misum* a Jehova legatum pertinent, gentes ut ad arma continuo ruant increpantem; & recte C. F. SCHNURRERUS, in *Disfertt. philol. critt.* monet, קוֹמֵי ante לאמר, quod h. l. particulæ exclamandi vicem explet, esse subaudiendum, quemadmodum etiam verbo נִקְרָמָה, in 1 perf. plur. blande loquentium more, quos cohortatus est, illis sese adjungit idem legatus divinus. Cum enim amore patriæ & ira in hostes inflammatus verba faciat Vates, facile ad intelligendum est, qui factum sit, ut quædam omisæ & alia tum breviter, tum subita personarum commutatione dicta occurrant; atque ex hac mentis perturbatione quoque fit, licet verbis לאמר --- --- --- Jehovah loquentem induxerit, ut ad alias tamen res transgressus sequentem enunciationem שְׂמוּעָה שְׂמוּעָה, ad se suosque populares referat, & deinde de nuncio inter gentes misso narrans verba illius recitet.

v. 2. *Se! liten hafver jag gjort dig ibland folkslagen och gan-
sta föraktad. 2)*

v. 3. *Ditt hjertas högmöd hafver dig bedragit: du som bor på
bergs höjder, hvilkens boning hög är, du säger i ditt
hjerta, hvem förmår nedförlta mig till jorden? 3)*

v. 4.

עליו *contra illam*, scil. terram Idumæam, nam præce-
dens ארור *tum de terra, tum de populo dicitur*, ut e
pronomibus, particulæ על & seq. vers. verbo נתתי sub-
iunctis, facile intelligitur.

2) קטן & ברוי *parva & contenta*, h. e. aliis populis post-
habita recte dicitur Idumæorum gens, quia nec ampla
fuit regio illius, nec nomen sibi acquirere unquam valu-
erunt incolæ.

נתתי *plures Intt. de perfecto prophetico, loco futuri,*
explicarunt; ac bene adnotavit ROSENMÜLL. l. c. quum
versu proximo Idumæi populi factus & insolentia carpa-
tur, multo concinniozem & elegantiozem prodire sensum;
si verbum hoc in præterito, ubi quoque positum est, su-
matur. Hoc enim vult propheta: parva es & fuisti O!
gens Idumæa; cur igitur tantum te effers? Sed superbia
animi tui te seduxit, cet.

3) ורוך *aptissime h. l. adhibet vates. Intolerabilis enim est*
illorum, qui opibus valent, superbia, at ridicula omnino
impotentiorum jactantia; atque si verbum ורוך — nam
inde derivandum est ורוך — in origine diceretur de olla
ebulliente æstuque redundante, quod tamen haud sine causa
in dubium vocat GESENIUS, in Lexico, optime hæc vox
lecta eslet,

תַּרְמִימָן interpretantur LXX. ἐπιῆγε σε, legentes ὦ pro ὡ, verbo ad radicem תַּרְמִן relato. Sed quamquam de Rossi in quibusdam Codd. eandem lectionem, quam etiam ARAB. & VULG. sequuntur, & CAPELL. in *Crit. sacr. T. II. p. 729* probat, semet invenisse testatur, vix tamen quidquam mutandum est. At severius quam magnitudo rei postulat in CAPELLUM invehctus est BUXTORFIUS in *Anticrit. p. 565*, Cfr. ROSENMÜLL. *Scholl. citt.*

תַּרְמִימָן vox difficilioris interpretationis, quoniam non nisi hoc loco, *Jerem. XLIX: 16. Cant. II: 14* & forsitan, si תַּרְמִן idem sit in sing. vocabulum, *Jes. XIX: 17* legitur, nec etymon illius servarunt, aut ipsa Hebræa lingua, aut satis certe aliæ cum illa cognatæ dialecti. Adjudicaverunt huic vocabulo philologorum alii *asylum* notionem, ab Arab. حُجْلَةٌ *confugit*, unde مَوْجِلَةٌ *perfugium, asy- lum* (cfr. MICHAËLIS *Suppl. ad Lexx. Hebr.*), alii *regionis* significatum, a radice Arab. حُجِلٌ *constitit in loco*, & nomine ex illa formato حُجَيْتٌ *tractus* (quæ conjectura ingenio SCHNURRERI debetur). Sed nobis, quamquam hæc omnia non prorsus improbanda sint ac rejicienda, tamen maxime arridet dialecti Syriacæ auctoritas, suis حُجَيْتٌ & حُجَيْتٌ vim *rupis & præcipitii* tribuentis; nam primum scriptio æque apta est, atque in Arab. حُجَيْتٌ; & deinde, licet commodus ac fere idem oritur sensus, si תַּרְמִימָן singulis quibus legitur locis, sive *tractum*, sive *præcipitium* explicaveris, attamen cum حُجَيْتٌ in Syriacismo nonnunquam ita adhibitum deprehendatur, ut inepta omnino sit *regionis* interpretatio, quod e Versionis Syriacæ explicatione *Jobi Cap. XXX: 7, 8* satis perspicuum fit, ubi verba *ܘܢܘܨܘܢܐ ܕܗܘܘܢ ܕܘܨܘܢܐ ܕܘܨܘܢܐ ܕܘܨܘܢܐ*